

sic ad usum accommodatur: vt *pedes* 12500 faciunt horam, & *hora* facit dimidium milliarem: sic *pedes* 6250 faciunt quadrantem milliarem, hoc est, horam dimidiam: *pedes* verò 3125 quadrantem horæ, hoc est, milliarem octantem. unde deinceps ad stadia, perticas, passus, cubitosque devenitur. quod propter geodæsiam locorum ad quam duplici opus est statione, itemq; ad planimetriam, observatu est utilissimum. Ad longitudinis tamen dimensionem imprimis requiritur pertica, decem pedes longa, quæ *Decempeda* uno verbo dicitur veteribus: veluti mensurus spatium intermediū duarum stationum funiculo, qui continet pedes 100. idque quater facturus, habebo pedes 400. qui faciunt perticas 40. Funiculus igitur, qui justè contineat pedes 100. debet parari; quorum singuli deni pedes nodulis, vel aliis notis, pro datâ commoditate locorum, possunt interstingui: cujusmodi funiculus cerâ vehementer debet fricari, ne, dum usurpatur, longiùs sese extendat. Hæc de mensuris, quæ observatu utiles & necessariae sunt.

Nota. Ad dimensionem lineæ notæ funiculo opus.

PARTES deinde Instrumenti sunt hæc:

I. I. Partes Instrumenti.

Semicirculus: cujus usus in geodæsia plurimum locorum, A.B.C.D.

Duæ Regulae semicirculi in centro A. cum cochleâ, litera M notatâ, quâ illæ sistuntur ac firmantur, A.E.F.

Duæ Dioptrae cum apicibus & pinnulis, per utramque Regulam volvi solitæ, G.H.

Regula cum minuto foramine, quæ *foraminea*, compendii causâ, appelletur, serviens explorandæ distantiae duum locorum, I.

Baculus, quatuor pedes longus, cum ferro acuminato pedem longo infernè, supernè ferratus & duo foramina habens, unum in vertice, alterum ad latus, cum cochleâ, K.L.

Cochlea cum apice, M.

Matricula cochleæ, N.

Paxillus seu cuneus, accommodus excipiendo semicircu-